

No. 619. 1372. 18. Oct.

*B. Conrad eignet dem Domcapitel das vom Weibischof Franko erkaufte Allod zu Oberwartha und genehmigt die von diesem zu seinem Seelenheil getroffenen Bestimmungen. Vgl. Bd. I. No. 478.*

In nom. s. et ind. trin. feliciter amen. Conradus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis ad perpetuam rei memoriam etc. Ad pontificalis apicem kathedrae etc. Sane venerabilis in Christo pater dominus Franko episcopus Lerosensis, vicarius noster in pontificalibus nobis sincere dilectus, in nostra constitutus praesentia sua nobis insinuatione monstrare curavit, qualiter dudum a felicis recordationis domino Johanne olim episcopo Misnensi praedecessore nostro Wartham superiorem communiter Wartham episcopalem nuncupatam, ad vitae suae dumtaxat tempora tenendam et habendam, post mortem ipsius domini Frankonis ad eundem dominum Johannem episcopum, aut si dictus dominus Johannes ipso domino Frankone superstite decederet, ad capitulum ecclesiae Misnensis libere devolvendam, pro certa pecuniae quantitate iustae emptionis — titulo de unanimi capituli praedicti comparasset beneplacito et consensu cum omnibus et singulis suis pertinentiis, quae tunc in censibus seu redditibus annuis paucae et modicae, videlicet quindecim grossi, quos duo hortulani, scilicet Tylemannus cum Petro filio suo annuatim de suis hortis persolverunt, in agris autem tres campi seminabiles, quorum primus de quinque, secundus de sex, tertius vero campus de sex cum dimidio maldris annonae sive frumenti alternatim seminandis in eisdem existebant. De quibus quidem agris per ipsum una vinea in spatio terrae arabilis, in quo novem modii frumenti seminari poterant, posita est et de novo plantata. Postea vero quia crebrius ex confrontatione et coniacentia agrorum allodii Johannis Franken etiam in Wartha praedicta residentis, ac ex permixtione eorundem cum agris ad dictam Wartham et ad ipsum dominum Frankonem pertinentibus, qui nimis partialiter sibi invicem vicini erant et confines, oriretur praeiudicialis et iurgiosae materia dissensionis, memoratus dominus Franko cupiens nocivae litis zyzaniam succidendo evellere taliterque ob salutem animae suae ac suorum remissionem peccaminum temporalium incremento bonorum intendere, quod spiritualium accrescentia fructuum cum profectu salutari et spe quietis perpetuae non fraudaretur, praefatum allodium a praelibato Johanne Franken cum nostri scitu capituli, praenarrato praedecessore nostro sicut domino placuit vita functo, pro certa pecuniae quantitate comparavit ad disponendum et faciendum exinde in ecclesia nostra Misnensi testamentum et anniversarium ac tam in vita quam in morte memoriale perhenne, sicque curiam praedictam, scilicet Wartham superiorem in suis pertinentiis, tam in redditibus annuis, quam etiam in agris exacta sollicitudinis diligentia adaugendo studuit emendare. Nam de melioribus et vicinioribus agris scilicet allodii Johannis Franken et Warthae superioris praedictorum tres campos terrae arabilis, in quorum quolibet successive et alternis annis septem maldra frumenti seminari valeant, Warthae superiori supraedictae applicavit, censum etiam annum augmentavit. Primò enim, ut praescriptum est, quindecim grossi dumtaxat, quorum Tylemannus sex grossos et tres pullos, Petrus filius eius hortulani novem grossos et duos pullos de suis quos coluerant hortis et agris annuatim solverunt et solvunt, ad eandem Wartham pertinuerunt. Nunc